

360

358

364

vitavimus. Iuxta mare est ecclesia beatae Virginis, jam quadris  
aedificata, ubi in prima mea peregrinatione stetit solum lignea  
capella, et est etiam ecclesia latina, galeotarum eleemosynis con-  
structa; in hac diutius moram traximus. Interea sonum tubae au-  
divimus vocantis nos ad classem, et commotam classem quasi re-  
cessuram vidimus, sed dum in eam festini navigassemus, cessavit  
omnis tumultus, qui recessum solet praecedere, mansimus ergo  
sic in galea cum impatientia, quia ventus bonus erat, quem  
negleximus.

Vicesima secunda die mane discurrebant per galeam et in  
tota nostra classe recessum simulabant, sed domini patroni in  
naviculis remeabant in urbem, quo vidimus nos non recessuros.  
Erat autem apertum navigationis tempus, causae autem tres erant,  
quare sic ibi detinebamur. Prima fuit, quia capitaneus armatae  
classis male contentus erat de capitaneis nostrae onerariae classis,  
pro eo, quod portum illum ingressi fuerant, cum ibi vix alimenta  
reperiri possent sufficientia pro armigeris; hoc ut notaverunt capi-  
tanei nostri, sibi in faciem ibi manebant. Secunda causa, propter  
merces, quas ibi deponebant et imponebant; illati enim erant in  
nostram galeam ultra CCC lodos ungaricales villosi, quos nos  
nominamus sclevos, quia Sclavi eis involvuntur die ac nocte, et  
sunt lecti eorum, vel quia in Sclavonia sunt sicut in Ungaria.  
Hos lodos posuerunt ad stantiam et cumbam nostram, et desuper  
struere lectulos nostros fecerant, quod domino Johanni et mihi  
valde profuit, quia hactenus stratum nostrum tenue super saccos  
nudos specierum durissimos habuimus, sed nunc molliori strato  
contra duritiam et contra frigus fruebamur, quem pecunia libenter  
comparassemus. Tertia causa tardationis erat, quia domini prac-  
ticabant concordiam inter illos duos, qui in nostra gelea se lae-  
serant, ut patet supra; nam sine eo, qui extra navem lapsus fue-  
rat, non poterat galea stare bene, quia optimus nauta erat et  
unus de principalioribus; et concordaverunt eos regressusque est  
in galeam. Porro quartam causam nostrae tardationis principalem  
ego suspicabar esse diabolicam, instabat enim festivitas dierum  
sacrae nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et ne istis solemnni-  
bus diebus interessemus divinis officiis, diabolus impedimentum  
praestabat, non enim poteramus amplius aliquem attingere portum  
habitabilem, optavimus nos peregrini, impetuosisimum fieri mare,

354

369

349

409

309

459

259

Ende

Anfang

